BARTHOLOMAEUS DE MONTAGNANA

Salzburg, 1471 Seite 325v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8258
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ad ptisim. Itaq; regat reginine
quod nunc scribit ei partito i
duo capitula sequentia. Quorum
primum faciet discursum per ea
a quibus omino sibi precauere debet.
Secundum vero capitulum disturret
per medicinalia sibi conueniencia
quorum tamen omnium si lauda-
bilem optabit effectum, neces-
sarium erit quod saltem semel in
mense faciat michi noticiam
de statu suo usque ad ver fu-
turum Anni 1442. pro expe-
dicione itaq; primi capituli
1° Iste vir sibi precauere debet a
statione uel mora sub flatu
venti septentrionalis et habi-
taculo camerarum terrenarum
propinquis cursibus aquarum et
habitet in locis calidis ad no-
tabilem siccitatem declinantibus.
Caueat a vestibus pectus con-
stringentibus et coopertoriis
capitis valde grauibus. Primo ca-
put suum mediocriter munitum
efficiat. ¶ De cibis vero te-
2° neat istum modum, videlicet quod
effugiat omnia cibaria acria
et acetosa saltem in multo usu.
3° Similiter dimittat cibaria
acuta uel cum eis composita
vt sunt cepe alleum et similia.
Similiter effugiat res acutas
4° cum salsedine multa. Quarto
iterum caueat sibi a rebus fri-
gidis et humidis, vt sunt
lactuce portulace spinachia
bleta et similia. Item dimit-
tat viscosa valde ventosa-
bilia ut sunt lac et pisces
elixi. Item dimittat ea que
sunt pectoris constrictiua vt
pira multa et prope acria
nespula et sorbas. granata
nuces castaneas et similes.
Item dimittat pastiles cibos
omnes. Item fugiat multi olei
vsum, sed loco eius vtatur oleo
amigdalarum dulcium aut butiro
recenti. Item effugiat vsum omnium
leguminum et proprie elixorum, et
vsum lactis crudi. Coctum autem
cum ouis et rebus aliis non vi-
tupero vtatur pane recenti bene
fermentato non multum combusto.
et carnibus castratiuis vitelli-
nis de agno de capreto de cu-
niculo de lepore, et pullinis
carnibus, de gallinis et anatibus
iuuenibus. Et magnus eius vsus
esse debet in comestione colum-
borum elixorum et assatorum, et
auium minutarum turdorum me-
rulorum perdicum fasianorum et con-
similium. Antiquas carnes et
salitas omnes effugiat. In a-
liis autem cibariis habet licentiam
preter quam in supradictis. ¶ De
potu. nota. potus eius sit vi-
num album subtile dulce magis
quam bruscum et ponticum bene
clarum et transparens, quod
tamen in estate commisceat
cum tercia uel quarta parte
aque decoctionis radicum li-
quericie rase et in diebus
frigoris vinum commisceat cum
aqua cocta ~~et~~ cum melle, quan-
titatem supradictam. Effugiat etiam
saltem per vnum annum exercicia
fortia omni tempore et proprie
post cibum. Et caueat exercitari
aliquo exercicio. in curuatione
pectoris et capitis. Et caue-
at a vehementia. et freque-
ntia coitus usque quo est sanitati
restitutus. Item non comedat
vnquam nisi appetitus naturalis
affuerit. Caueat comedere
nisi cum optima masticatione
premissa et iterum non repleat
stomachum cibo. neque potu tante
quantitatis quod sentiat grauitatem
et fluctuationem in eo. Dor-
miat autem distanter a cibo semper
per horas duas capite eleuato